

Martinus V. papa, Jacobino de Rubeis.

112

Dilecto filio Jacobino de Rubeis in regno Poloniae nuntio et collectori nostro salutem etc: Recepinus nuper à carissimo filio nostro Wladislao rege Poloniae illustri, et à dilecto filio nobili viro Alexandro alias Witoldo duce Lithoaniae fratre eius literas, eiusdem fere continentiae, pro vicecancellario regni Poloniae ut promoveatur ad ecclesiam Posnaniensem, quae satis nos et collegiam cardinalium conturbant, propter multa quae in eis continebantur, et maxime quia scribunt se deliberasse mittere oratores suos ad nos cum muneribus, et dein audita promotione de altero facta, retraxisse ad tempus, tanquam debuissent nobis munera destinare, propter promotionem fiendam, et alia etiam quae latius videre poteris per ipsarum copiam presentibus inclusam. Haec literas non credimus de scitu regio taliter processisse, sed omnia esse inventa ab illo vicecancellario, qui sperabat in opprobrium nostrum et curiae, quod muneribus caperemur ad promovendum eum. Quibus literis qualiter respondeamus, ut plenius inspicias, earum copiam similiter presentibus includi fecimus. His lectis loquaris cum serenitate regia, et ab eo scisciteis, an, quod non credimus, talia verba processerint de mente sua, conquevarisque ex parte nostra de malignitate vicecancellarij illius, prout tibi videbitur esse opus. Nam ipsum

credimus

credimus literarum illarum, et ducis Witoldi fuisse
se auctorem, cui nos similiter respondimus. Lo-
quaris quoque cum archiepiscopo Gnesnensi et
aliis, quos cognoscis nostri honoris et sedis apo-
stolicae relatores, prout videris expedire. Et de his
que loqueris, et de responso facies nos tuis li-
teris certiorem. Datum Roma apud sanctos aposto-
los decimo quarto Kalendas Martij, anno decimo.